



Nr. 63. Q.





DISPUTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA

AD  
Cap. III. Genes. Vers. 15.

DE

# PARADISI EVANGELIO

Vom ersten Evangelio im Paradies

QVAM

IN ILLVSTRI ACADEMIA KILIENSI

SVB PRAESIDIO

DN. CHRISTIANI Kortholt,

SS. THEOL. D. ET PROF. PVBL. PRIMARII

VENTILANDAM PVBLICE PROPONIT

TOBIAS PAVLI, HEMIPOLIT. SAXO,

DIE XII. OCTOBR. ANNO M D C LXXIX.

---

VITEMBERGAE,

RECVSA, APVD IOANNEM HAKIVM. (4)

MDCCXXXIX.

**PAULI  
TOMASI  
DIE CHRISTIANI  
RECAZA VAD IOANNI HARTM.**

(4)

MDCCXXXIX



# TEXTVS AVTHENTICVS CVM VERSIONIBVS INSIGNIORIBVS.

ואכה אשה בונך ובין האשה ובין רעה ובין רעה  
הוא ישופך ראש ואחת תשופנו עקב:

## TARGUM ONKELOS.

ודבכו אשוי בינך ובין אהתא ובין ביך ובין בנהא  
זווא ווּרְאַתְּ נָטֵר לְךָ (וְהִדְכִּיר לְךָ) מִתְּרֻבְּרָה  
לה—מלקומיין ואת תורה נטר לה לסופה:

## LXX. INTERPRETES.

Kai ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον τῆς καὶ ἀνὰ μέσον  
τῆς γυναικός, καὶ ἀνὰ μέσον τῆς σπέρματος σὺ,  
καὶ ἀνὰ μέσον τῆς σπέρματος αὐτῆς. αὐτός σε  
τηγήσει κηφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτὸς πλήρεν.

## ARIÆ MONTANI ET PAGNINI.

*Et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem et inter semen tuum et inter semen ejus, ipsum conteret tibi caput et tu conteres ei calcaneum.*

*Præterea inimicitiam pono inter te & mulierem hanc, similiterque inter semen tuum & semen hujus: hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum.*

## VVLGATA.

*Inimicitias ponam inter te & mulierem & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum & tu insidiaberis calcaneo ejus.*

## VTHERI.

Und ich wil Feindschaft setzen, zwischen dir und dem Weibe, und zwischen deinem Samen und ihrem Samen, derselbe soll dir den Kopf zertragen, und du wirst ihn in die Fersen stechen.

## I. MEMBRVM LOGICO-RHETORICVM.

**Q**uod sol inter Planetas, & gemma inter lapides, id est hic versiculus in libro Geneseos, continet enim basin & fundamentum omnium Vaticiniorum V. T. de CHRISTO; & inde, ceu ex scaturagine uberrima & fonte vivo cæteræ omnes conciones & promissiones Evangelicæ promanant & deducuntur. Sensus integri versiculi ad duo membra commode potest revocari, in priori membro continetur ipsa inimicitiarum positio, in posteriori earundem executio. In priori notanda (i) causa efficiens seu autor huius positionis, qui est ipse DEVS, sive S. Trinitas. Nam cum haec positio sit opus divinum ad extra, commune est toti Trinitati, ut alia opera ad extra, ser-

vato

vato ordine agendi cujusque personæ proprio, appropriate interim & terminative competit soli filio in consilio Trinitatis ab æterno ad hoc opus destinato. vid. Disput. 18. c. 5. Disput. Giss. Tom. 9. ubi acute & eruditæ de hac appropriatione Filii Dei in negotio Redemptionis differitur. (2) Materia circa quam seu objectum est ipsa inimicitia seu odium hostile, quod involvit summam dissensionem, omnemque studiorum animorumque disjunctionem, ut patet ex 1. Joh. 3, 8. Apoc. 12, 7. Confer. Gerhard. in Genes. quæst. 6. p. 106. item Varenium in decadibus Mosaicis p. 356. (3) Illi, inter quos inimicitia hæc intercedit: Qui patescunt ex verbis seqq. ubi opponuntur (1) diabolus, qui metaphorice per serpentinum exprimitur, tum ob astutiam, tum quia in serpente, naturali latens hominem seduxerat, quique alias vocatur *Draco*, Apoc. 12, 7. 9. c. 20, 2. Videatur Glassii Rhetorica de Metaphora p. 329. De serpente naturali ejusque pena antea facta fuerat mentio superiori versiculo; in hoc vero indicatur pena serpentis metaphorici; & mulier Eva, *cujus inimicus serpens futurus foret, eo quod metuebat semen mulieris;* verba sunt Dn. D. Varenii cit. I. (2) semen diaboli; quod metaphorice denotat omnem diaboli catervam, ejusque asseclas, quales sunt omnes impii, qui & propterea vocantur *ἵηται παντες*. Matth. 13. v. 38. & semen mulieris, quod est Christus, qui semen per metonymiam dicitur. (4) Finis & effectus, qui in posteriori membro innuitur, ubi in actum hæc inimicitia deducta describitur. Estque duplex (1) respectu seminis mulieris, contritio capitis serpentini, quod metaphorice regnum, potentiam viresque diaboli denotat. (2) respectu diaboli contritio calcanei seminis mulieris. Per quam metaphorice passio & mors acer-

bissima Messiae intelligitur. Serpens namque contritum caput circumgerens, hostis sui calcaneo perniciem & interitum, sed minori cum damno, intentare non desit. Vid. Prucknerus in Vindic. in h. l. B. Gerhardus in h. l. per calcaneum semenis mulieris a serpente conterendum intelligi scribit (1) quod Satanus Christum in propria persona sit oppugnaturus (2) quod sit Christum oppugnaturus in suis membris, (3) quod haec oppugnatio Christi & membrorum ejus futura sit absque operis redemptionis ex parte Christi & salutis & parte piorum dispensio, caput enim inquit, utrobique in Christo & piis manet salvum calcaneus tantum conteritur.

## II. MEMBRVM PHILOGICVM.

*Et inimicitiam* וְאֵיבָה est nomen auctum in sine per ה. Radix est אֵיב inimicatus est; significatque ingentem & maximam inimicitiam, quae fit plerumque tecto & insidiis pleno odio; quod si erumpat in actionem, factum committitur atrocissimum & stupendum. De odio tecto & insidiis pleno constat ex Ps. 27, 2. ubi vox אֵיב opponitur voci צָר & utraque significat inimicum. צָר autem cum descendat a radice צַר obfedit, notat inimicum aperta hostilitate alterum aggredientem. E. vi oppositionis notat inimicum occulatum. Patet idem ex Ezech. 35, 5. ubi dicitur de Edomæis, quod habeant אַוְכַחְזֹלֶת five inimicitiam perpetuam, i. e. quod alta semper mente maneat inimicitia reposita, quæ interdum se ostendat in cædibus actualibus. Quod autem illud odium in factum vehemens erumpat, discitur ex Num. 35, 21. ubi dicitur, occidendum esse eum, qui alterum percussit per inimicitiam five אִיבָה ut moriatur. E. percussio mortem inferens fit per אִיבָה. Patet idem ex l. c. Ezech. 25, 15. ubi

15. ubi Philistæ ex אִיבָה sive inimicitia dicuntur perdere & depopulari. Patet & ex Ezech. 35. citat. Ubi dicuntur Edomæi ex אִיבָה seu *inimicitia* facere, ut disfluant Israelitæ gladio. Possimus ex hac eruta Emphasi nunc facile definire, qualis sit inimicitia diaboli adversus hominem, sc. quod diabolus maximus sit inimicus, qui tegere odium norit; quod de insidiis struendis assidue cogitet, quod, si ad peccandum inducat nos, velit perdere nos penitus corpore & anima, sicut qui ex אִיבָה alterum trucidat, penitus corpus perdit; quod spoliare nos velit omnibus bonis, cœlestibus & æternis, sicut homo ex אִיבָה alium dicitur spoliare & depopulari &c. Sed & hoc inde colligimus, quod non notetur hic odium quoddam puerile, quod conciliari facile possit, sed perpetua dissensio & bellum æternum, suscepsum a Messia cum diabolo: & quod homines a sua parte debeant ferri odio maximo in diabolum & illud perpetuo mente circumferre, quia notat teatum odium. Quod si etiam congregati actu cum tentante diabolo debeant, debeant atrocissime pugnare, & omnes ejus machinas evertere, quia in factum atrocissimum erumpit. Vulgatus cum Targ. Onkelos reddidit numero multitudinis, *inimicitias*, Enallagen fortassis numeri explicaturus, cum reliqui tamen omnes *inimicitiam* vertant. Præmittitur 1 Conjunctio copulativa, quæ construitur cum præced. vers. ut significet etiam, nec frustra a Spiritu S. addita, quamvis Vulgatus illam omiserit. Sed Emph. h. l. sicut & alibi exaggerationis significationem habet, sc. Proverb. 24, 27. Es. 24, 22. &c. quæ loc. cum aliis videantur apud Glasium p. m. 687. & indicio est, vel, quod hoc cum superiori commate conjungendum sit, ut significetur, continuari processum judi-

judicialem, prænamque indici ei, qui primus & peccaverat,  
 & hominem ad peccatum sollicitaverat, & repetendum,  
 quod in principio versus 14. dicitur: *quia hoc fecisti.* Omnia  
 enim individuo nexu cohærent, & sensus hic est: quia hoc  
 fecisti & sub specie amicitiae mulierem seduxisti, itaque  
 hanc fraudulentam familiaritatem in inimicitiam conver-  
 tam; *vel,* quod nova hic inchoetur sententia, in qua non  
 amplius Deo cum serpente naturali sermo sit, sed cum eo,  
 qui per serpentem hominum seduxerat. Et cum esse ge-  
 nuum sensum docet historica narratio. Nomen אֶבֶן  
 notanter etiam h. l. sine מ emphatico ponitur, ut indice-  
 tur, illam inimicitiam primo omnium promulgari & de-  
 nunciari. Nam si מ adfuisset, sensus fuisset, de illa jam an-  
 te constitisse. Ita etiam adhibetur אֶבֶן Num. 35, 22. Si  
 homo alterum percusserit sine inimicitia i. e. ut nullam  
 plane inimicitiam ante habuerit. Atque emphasis hæc  
 est, quod inimicitia exaggeretur, & primo omnium denun-  
 ciatur. Denique idiotismus occurrit in hac voce אֶבֶן  
 Accusativus enim verbum præcedit. Quod fieri solet  
 emphatico, ut indicetur, de quo in toto versu sit sermo fu-  
 turus. Ita legitur Ezech. 36, 27. *Et Spiritum meum dabo in*  
*vobis.* Ubi in integro versu ille Spiritus describitur. Hinc  
 interdum loco hujus Accusativi poni solet Nominativus  
 absolute, qui totam Orationis sententiam absolvat. Vid.  
 Glass. p. m. 97. Alia autem ratione fit p. 13. 3. *Quousque po-*  
*nam consilia in animo meo?* ubi Accusativus postponitur  
 verbo, quia de Consiliis sermo futurus non erat. Empha-  
 sis E. est hujus loci, ut ostendatur, juxta omnes circum-  
 stantias illam inimicitiam Deum esse descriptorum, ne pu-  
 taret diabolus levem illam futuram, vel etiam mox des-  
 turam.

turam. Nam quod secundum circumstantias recensetur & data opera, illud majoris esse momenti solet.

שׁוֹתָה ( שׁוֹתָה ) est i. pers. Sing. fut. Hiphil a radice **שׁוֹתָה** quod verbum significat (1) in genere quamcunque positionem, g. positionem animi ad rem aliquam Exod. 7, 23. positionem v. coronæ in caput, Ps. 21, 4. positionem in foveam, Ps. 88. 7. Positionem infantis in sinum, Ruth. 4, 16. &c. (2) in specie significat disponere in primis castra, ut Es. 22, 7. & Ps. 3, 7. Et ex circumstantiis textus nostri videmus, optime h. l. positionem intelligi *cum duratione & pugna quasi militari, conjunctam*. Nam inimicitia diaboli perpetua est, & pugna illa alias nobis adumbratur in imagine Principis Michaelis pugnantis contra draconem. Durationem pugnae colligimus ex locis in generali significatione citatis, ubi semper positio durans per aliquod tempus intellegitur. Sic positio in caput, in foveam, in sinum, semper aliquantis per durat. Forma autem positionis *castrensis* ex speciali l. c. significatu hauritur. Observ. (1) N primæ personæ indicare personam loquentem, quemadmodum variis in locis parallelis. Et quidem de Deo hoc fut. i. pers. dicitur vel in *hominum solarium*, ut Ps. 12, 6. ponam in salute sc. probum Ps. 110, i. Donec ponam inimicos scabellum pedum tuorum. Ps. 132, ii. De fructu ventris tui ponam in solio &c. vel in *comminationem*, ut Jerem. 22, 6. ponam te in desertum. Es. 5, 6. ponam eum in desolationem &c. in quibus locis summus Jehova etiam promisit & repetiit quæ hic in paradyso promisit, & usus est hoc verbo, ut homines afflitos erigeret, diabolis autem terrorem incutere; unde huic denunciationi Parentes nostri lapsi certissime fidere potuerunt, quia Jehova dixerat: item erigere se ea potuerunt ex afflictionibus peccati, quia consolatio &

B

com-

communio Dei igentem habet efficaciam. Observ. (2) ponit futur. hoc in Hiphil, quæ conjugatio significat translationem actionis in aliud subjectum: ad indicandam Dei Patris translationem peccati inimicitiae Satanicae in Filium, quod DEVS Pater ita poneret illam inimicitiam, ut Filio imponearet, & sic de suo in homines amore testaretur summo. Observ. (3) poni verbum actionem significans per idiotissimum. Hebr. pro pronunciatione & notificatione, pono inimicitiam i. e. denuncio positum iri. Similia exempla sunt Gen. 27, 37. ubi Isaiae ad Esayum dicit: Dominum posui eum, sc. Jacobum, superte i. e. pronunciavi illum futurum talem Gen. 35, 12. Terram dedi Abraham & Isaac i. e. notificavi me daturum &c: Emphasis E. hæc est, quod DEVS non modo per filium mulieris, ceu Filium DEI in eadem persona sit liberatus homines ab imperio satanæ, sed & illam feriani suam voluntatem de hominibus salvandis annunciaturus sit creberrime per Prophetas & Apostolos, ut mundo toti prædicetur, sicut hoc loco, ipse prædicavit Protoplastis. Et sic rectissime πρωτευαγγέλιον a Luthero appellatur. Non poterat autem actualis positio loco denunciationis intelligi, quia illa positio inimicitiae cum actuali contritione capituli serpentini erat conjuncta, quæ contritio non nisi a nato Messia peragi poterat. Si quis vero cum Tremellio & Junio τὸ Ιησὺν reddere velit in præsenti, pono, de divino decreto id accipendum erit, vel ita etiam exponendum, ut inimicitiae illæ in vere credentibus, statim ubi lata est hæc sententia, cœpisse intelligentur; ut postea in plenitudine temporis in ipso CHRISTO ἡμέρᾳ consummatæ sint.

(בִּנְךָ) est præpos. separab. notans sine affixo proprie medium duorum; qui duo ut plurimum solent

lent esse Personæ v. g. 1. Sam. 20, 23. Deut. 1, 16. 1. Reg. 15,  
 19. interdum tamen etiam res aliæ , v. g. Lux & tenebrae,  
 Gen. 1, 4. &c. licet deinde etiam medium plurium notet.  
 Facit hoc locus 1. Sam. 17, 4. ubi dicitur אִישׁ־בְּנֵי Vir in-  
 termedius, qui se inter duo castra interponit, & dirimere  
 dissidia duello vult. Vnde colligimus, iniuriam hic in-  
 telligi tales, quæ sit quidem inter duas catervas, catervam  
 hominum sc. & catervam diabolorum, sed ita tamen ut  
 sub duorum tantum umbone pugnetur, ab hominibus sub  
 umbone Christi, a diabolo sub umbone Beelzebub, diabolo-  
 rum Principis. Item cu[m] videantur semper distincta significa-  
 ri voce שָׂרֵב, sive sint magis, sive minus, sive maxime distincta;  
 hoc loco innuuntur athletæ duo diversissimi, magisque a se di-  
 stantes quam David & Goliath, lux & tenebrae. Suffixum se-  
 cundæ pers. masc. non respicit שָׂרֵב seu serpentem *per se*, sed  
 diabolum in serpente. Spirituale enim hic indicatur bellum,  
 cuiusmodi nobis S. Scriptura explicat Matth. 4, 1. 1. Joh. 3, 8.  
 Vocatur autem diabolus serpens *vel*, (verba sunt D. Glassii  
 Rhetor. S. p. m. 329.) quia in serpente latuerat, & per eum  
 fuerat ad Ewam locutus, *vel*, quia maledictus serpens na-  
 turalis v. 14. figuram diaboli gerebat. Prior tamen expli-  
 catio textui convenientior. Num vero suffixum Sing. י  
 unum præcise diabolum hic respiciat & quis ille sit, dis-  
 quiriri inter interpretes solet. Verum haud dubie non unus  
 duntaxat diabolus h. l. intelligitur, sed tota eorum collu-  
 vies, & ita quidem ut simul respiciatur ad omne commer-  
 cium diaboli cum homine, sicut alias phrasis, *inter me & te*,  
 solet notare non solum personas, sed & familias, negotia-  
 tiones, & possessiones, imo Regna integra, ut 1. Reg. 15, 19.  
 &c. unde Emphasis, quod Christus non modo unum dia-  
 bolum,

bolum, sed omnes devicerit, item quod non modo diabolos, sed omnia opera eorum, et omnia peccata destruxerit, ut hominibus non noceant. Observ. (1) diaboli fieri primam mentionem non ob aliquam dignitatem, sed quia potissimum malum per diabolum erat introsum, unde & primo loco pena ei denunciabatur; sicut alias illud quod vietuperatur, & a quo *cavere* sibi homines debent, solet praeponi alteri quod debent *observare*. Sic dicitur in loc. paral. cum בֵּין quod debeant Israëlitæ discernere inter immundum & mundum, Levit. ii, 47. quia in toto cap. hortatur DEVS, ut caueant sibi ab immundo &c. unde oritur emphasis describendi pessimum inimicum diabolum, a quo nobis ante omnia & primo loco caveamus. Observ. (2) allocutionem etiam emphasi non carere, ut qua significatur, quod DEVS timorem diabolo voluerit incutere, ut magis ad vocem Dei penalem exhorreret (sicut & Adam & Eam seorsim alloquebatur) Mulierem vero voluerit erigere. Id quod discimus ex locis parall. ubi quando vox בֵּין in allocutione adhibetur, semper animus dicentis vult rem exprimere vehementius & intentius. Ita cum DEVS Noachum cum suis consolaretur, dicebat: Gen. 9, 15. & recordabor fœderis mei, quod est *inter me & vos*, quæ phrasis deinde explicatur de fœdere inter DEVM & animantes: initio autem emphatice per allocutionem proponebatur, cum animi adhuc essent consternati. Ita ut deterret Afa Benhaddum a fœdere Bahuschæ, dicebat: Fœdus est *inter me & te*, 1. Reg. 15, 19. Sic quoque h. l. siebat illa allocutio cum emphasi.

(בֵּין) de voce בֵּין modo dictum est. Habet hæc præfixum copulam conjunctivam Vav, quæ regulariter alias ponit.

ponitur cum Scheva, hic vero ob sequentem literam labia-  
lem assumit Schureck.

**וָשָׁנָה** est nom. Gen. fœm. Vira, **מִנְנָה**, a Masc.  
**וָיַן** Vir ein Mann. Vox **וָשָׁנָה** significat (1) uxorem, quæ  
virum cognovit, ceu patet ex Exod. 2, 9. Num. 5; 19. 21.  
seqq. Judic. II, 2. I. Sam. 1, 23. Quod si autem huiusmodi  
persona est scortum, vocatur **וָשָׁנָה**, ut Jer. 3, 3. (2) signi-  
ficat uxorem despensatam vel copulatam benedictione, quæ  
nondum rem habuit cum viro, ceu patet ex omnibus illis  
locis ubi occurrit phrasis: accipere uxorem, dare uxorem.  
Nam quamprimum virgo erat despensata, vel etiam nupti-  
as celebraverat, ante cohabitationem vocabatur **וָשָׁנָה** quod  
si autem quis duxerat viduam vocabatur **אֲלֹמָנָה**, quod nomen  
gerebat inde a morte mariti, ut I. Reg. II, 26. I. Reg. 14, 5. &c. (3)  
notat sexum fœmininum, sive fœminam, etiamsi adhuc  
virgo sit omnimodo viri inscia. Quo sensu vox accipitur  
Num. 31, 18. &c. (4) Latius accipitur, adeo ut dicatur etiam  
de bestiis Amos. 4, 3. Hoc loco **וָשָׁנָה** sumitur in secunda  
significatione, quia DEUS dicitur dedisse Adamo uxorem,  
& ante cohabitationem hæc inimicitia annunciatetur. Ta-  
cita quoque fit allusio ad Matrem Messiæ, quæ etiam fu-  
tura erat **וָשָׁנָה** in secunda significatione, quippe despon-  
sanda Josepho, etsi non ab eodem cognoscenda. Vox **וָשָׁנָה**  
habet notantur præfixum **וּ** Emphat. ut indicetur, certam  
& notam mulierem intelligi. Nam etsi unica tantum fœ-  
mina tum esset in mundo, tamen vox illa etiam brutorum  
fœmellis competebat: & scire debebat serpens, non cum  
brutis, sed cum hominibus illam inimicitiam futuram. Re-  
cte autem illa fœmina vocatur, quasi nimirum dicat DEVS;  
illa fœmina, cum qua tu collocutus es, quam seduxisti, &

ab omni honore, ab omni scientia & sanctitate, qua beneficio imaginis divinæ pollebat, dejecisti, illa erit tibi infen-sissima, & ejus semen te conculebit. Quæ quidem magis patebunt, ubi consideraveris quod in collocutione cum diabolo mulier vocetur נָשָׁנָה cum נְאֵמָתִיכָו, Gen. 3, 12, 13. & in seductione, cum accipere de arboris vetita fructu, itidem dicitur נָשָׁנָה Gen. 3, 6. Quod si allusionem ad Matrem Messiae velimus formare, dicere possumus, indicari נְאֵמָתִיכָו emphatico, illam toti mundo innotescere debere, & de illa omnes Prophetas vaticinaturos esse. Quorum etiam aliqui נְאֵמָתִיכָו retinuerunt, ut Esaias cap. 7, &c.

רַבָּן (1) de particula separabili נְכָבֶד jam in præced. actum est. Nav. h. l. alii volunt poni declarative, pro ID EST; ut sensus sit: ponam inimicitiam inter te & mulierem, ID EST, inter semen tuum, & semen ejus; alii vero copulative. Neutrum est absurdum.

רַבָּן (2) est nom. cum affixo, mascul. Gen. quod referatur ad serpentem. Absolute נְרָא (1) proprie significat illud per quod species propagatur; unde dicitur de semine herbarum vel arborum Gen. 1, v. 11. 12. 19. de semine hominum Levit. 5, 6. c. 22, 4. (2) notat illud quod ex semine productum est. v. g. multas fruges in agris natas Gen. 17, 4. liberos, seu prolem multam 1. Reg. 11, 39. El. 1, 4. &c. (3) notat unam rem in individuo v. g. unum filium, Gen. 4, 25. 21, 13. Per semen serpentis autem intelligitur tota diabolorum colluvies sicut & vox hæc multitudinem significat juxta significationem secundam. Non quasi diaboli generent, sed metaphorice, quia illud quod semen habet, se multiplicat: Et ita suffixum נְ tuum, omnes notat qui tibi adhærent, qui tibi consentiunt, & tecum faciunt; sic suffi-

suffixum וְ significat *recum*, vel *apud te* Pl. 5, 5. &c. ex voce  
 וְ haurire etiam licet hoc significatum, siquidem etiam  
 וְ vocantur, qui cum alio consentiunt, *vel* in bonam par-  
 tem, ut Ps. 22, 31. Es. 53, 10. *vel* in malam, ut h. l. Gen. 3,  
 Es. 1, 4. Emphasis ergo est, quod inimici Christi sint non  
 solum diaboli omnes, sed & homines diabolo adhaerentes,  
 & ejus opera facientes.

(בְּנֵי) frequens hujus vocis repetitio distributionem  
 notat, vel personarum vel rerum, quod notat prima positæ  
 ita etiam præfixum וְ, ordine conjungit conjungenda, &  
 distincta proponit. Cujusmodi distincta explicatio hic erat  
 necessaria, ne vixtor & vixtus confunderentur, & ne promis-  
 sionem tam luculentam obnubilare falsa interpretatione  
 Satanæ posset.

(וְרֹעֵי) Nom. cum affixo וְ gen. fœm. Significata vocis  
 superius designata *huc transferentes*, dicimus: per se-  
 men mulieris intelligi solum Messiam, juxta significatio-  
 nem tertiam. Qui dicitur semen, quia nasci homo debe-  
 bat, juxta significationem secundam; & quidem ex semine  
 mulieris, juxta significationem primam. Suffixum וְ no-  
 tat id, quod physice ab altero per generationem descen-  
 dit, quo sensu vox וְ multoties cum suffixo occurrit, ut  
 Gen. 46, 6. 7. 2. Sam. 4, 8. Es. 48, 19. c. 59, 2. &c. nec sem-  
 per notat filium præcise, sed & nepotem, abnepotem, &  
 longo intervallo sequentes, ceu patet inprimis ex locis il-  
 lis omnibus, ubi Deus promittit, se multiplicaturum semen  
 sicut arenam maris, vel pulverem terræ, ut Gen. 28, 14. c. 32,  
 12. Es. 48, 19. ubi multæ generationes intelliguntur. Atque  
 sic suffixum indicat, vere nasci debere Messiam a Matre, ut  
 filius ejus appellari possit, non autem immediate ab Eva,  
 quia

quia debebat esse sine Patre & ex Virgine. Notanter porro suffixum est fœmin. gen. respiciens fœminam, unde novæ oriuntur Emphasæ. (1) quidem fœminæ semen debebat diabolum vincere; fœminæ inquam, qui sexus alias est infirmior, quasi dicat Deus: aggressus es imbellem fœminam, sed fœminæ imbellis semen te vincet, ita legimus Suffixum fœm. gen. voci וְ emphatice annexum, Gen. 24, 60. ubi consanguinei Rebeccæ ajunt: Possideat semen tuum portam inimicorum suorum; quasi dicant: semen tuum seu a te nella virgine oriundum fiat tam potens, ut vires hostium frangat. (2) indicatur, Messiam semen fœminæ futurum sine Patre. Nam alias vox וְ suffixum fœm. Gen. etiam occurrit cum suffixo masc. respiciente Adamum. Ita legimus. Gen. 16, ii. suffixum fœm. de semine Hagare Ismaele, quia autem Ismael etiam habebat Patrem Abramum hinc etiam semen tuum appellatur locutione ad Abramum directa multoties.

הוּא est pronom. demonst. masc. Gen. redditur latine ipse vel ille & dicitur (1) de Persona, ut Gen. 4, 4. 10. 8. (2) de loco, ut Gen. 32, 30. (3) de rebus aliis, v. g. pane facierum, Levit. 24, 9. &c. (4) de Deo usurpatum notat ejus immutabilitatem, ceu patet ex Ps. 102, item ex Ps. 130, 8. ubi immutabilitas Redemptionis divinae describitur. Et in hac quarta acceptione commode reddi potest, idem ipse. Ex quibus variis significatis id observamus, quod h. i. pronomen הָוֵה indicet personam, juxta acceptiōnēm primām. Quae persona sit הָוֵה Messias certissime genus humanum redempturus, juxta Dei promissionem immutabilem, vel etiam per concursum divinæ naturæ ad redēptionis opus alludendo ad significationem quartam. Monstrat igitur pronc-

pronomen נָהָר rem quasi digito, & stat loco vocis præcedentis repetendæ רְעֵדָה, quasi diceret DEVS, illud ipsum sermen, sive, ille ipse Filius, qui nascetur ab hac muliere, sive ejus posteritate, ille tibi conteret caput. Putabas te carnem humanam viciisse; sed vinceris a carne humana. En tibi victorem. En tibi Heroa, qui tibi æternam perniciem afferret. Ita vim indicandi Personas obtinet נָהָר Gen. 10, 8. ubi indicat Nimrodum; Gen. 44, 10. ubi indicat eum apud quem scyphus reperiaretur. (2) pronomen נָהָר est singulare, licet alias vox זְעַר etiam regat pluralem הַמִּם si collective sumatur. Ita singularem de una Persona etiam habemus in locis citatis Gen. 44, 10. (3) Pronomen נָהָר seorsim possum significat etiam *solum*, v. g. Ps. 37, 5. Confide Deo נָהָר ille faciet i. e. *solus* faciet, quia soli Deo confidendum est. Ergo ex his tribus notis sequitur, quod indicitur quasi digito Messiae Persona, qui Messias unus & solus futurus sit viator diaboli. Potissima autem hic nobis intercedit cum Pontificiis controversia, an vox נָהָר legenda cum ו (Vav) an vero cum י (Jod) vel cum Chirek. Illi posterius, nos prius affirmamus. Et quidem nostra sententia hoc solo firmatur sufficenter, quod omnes probati Codices Hebrei constantissime legunt נָהָר, nullus omnino נָהָר (nam quod Bellarminus unum sed vidisse ait, in quo legitum נָהָר, de eo quid habendum sit, & quanta hic fraus lateat, ostendit Dn. Præses Tract. de Variis Scripturæ S. editionibus p. 161.) Nihilominus ex abundanti urgemos (1) quod נָהָר sit demonstrativum, qualia respiciunt communiter voces proxime præcedentes, ut h. l. vocem רְעֵדָה. Loc. parall. hujusmodi sunt Gen. 2, 13. Nomen fluvii secundi est Gichon: hic est qui alluit totam Regionem Guschi, & ver-

C

sic-

sic. 14. de Gidekel, Gen. 4, 4. & Abel obtulit etiam ipse de primitiis &c. (2) quod חָנָן sit Gen. Masc. indeque respiciat לְדֹעַ, quod etiam mascul. est, non vero נִישָׁה eeu nom. fem. Loc. parall. sunt Lev. 24, 9. quia res sancta sanctorum est ille scil. panis ubi חָנָן respicit לְחֵם mascul. licet etiam praeced. vers. 8. habeatur בְּלִיה quod fœmin. est. Simile quid obseruare licet, Gen. 10, 8. (3) quod verbum in tertia person. futur. mascul. Gen. יִשְׁוֹבֶךְ idem arguat. Loca parall. sunt Ps. 37, 5. Confide Deo, ille facet, ubi futur. יִשְׁחַר respicit masc. חָנָן, quod refertur ad Deum Ps. 55, 23. ipse sustentabit te, ubi futur. יִכְלַכְלֵךְ etiam respicit mascul. חָנָן & (4) idem quoque probat suffixum mascul. Gen. verbi הַשְׁוֹבֵן cum vox mulierem respiciens habeat suffixum fœmin. Gen. ut דְּרוֹתָה.

וְיִשְׁוֹבֶךְ est tertia pers. Sing. mascul. fut. Kal. cum affixo secundæ person. mascul. quod refertur ad serpentem, seu Diabolum. Rad. שָׁוֹבֵךְ quod verbum significat (1) conterere vel comminuere sive in partes contundere. Hinc dicitur Job. 9, 17. de fragroſa ædium contufione, in quibus fuerunt liberi Jobi, quasi diceret Jobus; DEVS turbine conteret me, scil. eodem modo, quo liberos, quæ contritio descripta erat in capite primo vers. 17. (2) significat crepusculo involvere ex cognata radice שָׁבֵן quo sensu adhibetur Ps. 139, 11. Ex quibus significatis exstruitur, quia bis hoc verbum occurrit, scil. de Messia dictum significat fragroſe Satanam comminuere, ut partes quasi dissiliant, conculcando eum pedibus, dolores acerbos ei inferendo, eum plane destruendo, ut locus ejus non appareat, ex significatione prima. Et in nigrum orcum in perpetuam noctem inimicum hunc detrudendo, ex significatione secunda. Targum Onkelos

hic

hic habet **לְךָ** **יְהוָה וְנִתְרֶנֶת** *ipse erit observans tibi &c:* quod verbum **נִתְרֶנֶת** plerumque in malam partem sumitur & per ellipsis inimicitias in corde contra aliquem, iram, odium, & injuria retentionem memoriamque indicat. Buxdorffius vero ex Venet. edit. legit **לְךָ יְהוָה רָבָר** *erit recordans tui h. e.* ulciscetur injurias, quas generi humano intulisti. LXX. legunt *Ingiōtē a Ingētō observo.* Lutherus optime etiam vertit *zertreffen.*

**אֶרֶץ** Vocabulum hoc sumitur varie Nam (1) propriè significat caput, seu membrum primarium corporis, ut Gen. 48, 14. Levit. 1, 4. 8, 18. 22. &c. (2) summitatem sive cacumen rei alicujus, ut summitatem montium Mich. 4, 1. Cantic. 4, 8. summitatem Petræ 2. Chron. 25, 1. 2. &c. (3) notat præcipuum, sicut dicitur de Jephthah, Jud. 11, 10. de Asure 1. Chron. 12, 9. de Asapho, 1. Chron. 16, 8. item de rebus aliis v. g. de præstantissimo aromate Exod. 30, 23. de Damasco, Es. 7, 8. (4) notat primum, ita dicitur de Mense primo Exod. 12, 2. de annunciatione prima Es. 40, 21. (5) notat summam multitudinis v. g. Israelitarum Exod. 30, 12. Num. 1, 2. Quæ significations omnes e significazione capitis fluunt, siquidem caput est pars suprema & præcipua hominis. Est prima in membrorum ordine & continet sub se alia membra. Deinde etiam significat venenum quod est in capite aspidis Deut. 32, 32. Thren. 3, 19. unde etiam de venenata herba dicitur Deut. 29, 18. de amaritudine vel felle in genere Ps. 67, 22. Ex his significatis dicimus h. l. **עַנְתָּא** notare caput in prima significazione, quod caput serpente respicit. Quia vero diabolus latebat in serpente, hinc metaphorice per caput adumbratur potentia & virulentia Satanae, si-

quidem serpentes in capite robur & vires habent. Potentia autem hæc notat, quod omne suas vires & præcipuum atque excellens robur exercere voluerit diabolus, juxta significationem secundam & tertiam. Notat enim pugnantium multitudinem, quod omnes suos Dæmones animarit in Christum quasi summatim, juxta significationem quintam. Virulentia autem satanica respicitur ad significationem veneni, quod interitum hominis molitur. Cumque potentia & virulentia illa satanæ in peccato & morte consistat, hanc Christus erat contritus, ut concideret sicut serpens cui potentia & virus demitur, moritur.

**תְּהִלָּה וְאַתָּה** Et Tu, scil. serpens, est Pronom. masc. Gen. secundæ personæ cum præfixo Vau, conjunctione copulativa, & adhibetur hoc pronomen, ut indicetur, magno cum impetu D E V M in diabolum detonare, quasi dicat: & tu miser diabole, tu maledicte, infelix, imbellis inimice, contures calcaneum. Loca autem ubi **תְּהִלָּה** ita adhibetur multa sunt, tam in singulari quam in plurali. Ita v. g. in plurali **תְּהִלָּה** habemus locum Exod. 5, ii. *Vos* ite, accipite vobis stramen; ubi exactores Israelitarum in eos indignabundi detonant.

**תְּשׁוֹפֵן** est secunda persona singul. masc. futur. Kal, cum affixo secundæ personæ mascul. quod refertur ad semen mulieris sive Christum Rad. **תְּשׁוֹפֵן** vid. supra. De diabolo dictum hoc verbum notat ejusdem conatum Christum penitus convertendi & comminuendi. Sed quia irritus conatus ille, propterea tantum comminuit calcaneum. Quo indicatur, veros dolores in Christum conjectos esse, vera vulnera ipsi illata; sicut serpens vere aliquid dentibus comminuit, juxta significationem primam. Item diabolum

Chri-

Christum nocte involvisse, cum mortem inferret, ut triduum in sepulchro jaceret: Item occultis & opertis nocturnis insidiis, angoribus, illusionibus eum impetiisse per sua organa, milites Romanos, alludendo ad significationem secundam: tametsi neque hoc erat πανολεθρία, sed comminutio solum calcanei.

כְּבָשׂ) Vox hæc significat (1) calcaneum, ut Gen. 25, 26, 49, 17. Pl. 56, 7. (2) metaphorice postremum, sive quod ultimum est, quia calcaneus est ultima corporis pars, ut Ps. 19, 33. Proverb. 22, 4. unde & (3) mercedem notat, sive fructum vel emolumentum, ceu finem operis. Psal. 19, 12. in qua significatione multoties inducit naturam adverbii, ut significet propterea quod, eo quod &c. Dicimus igitur hic locum habere significationem primam, sive notari hic *calcaneum*, ut indicetur, vere Christum in carne esse passum, sicut calcaneus vere caro est; & passionem hanc fuisse acerbissimam, sicut dolores calcanei maxime sentiuntur. Atque hæc læsio calcanei fuit finis diabolici certaminis, ut amplius efficere nil possit, nullamque amplius vim in homines habeat, quandoquidem per passionem Christi plenarie est satisfactum, juxta secundam significationem. Et quanto cum fructu & emolumento nostri hæc læsio calcanei conjuncta fuerit, indicium facere potest significatio tertia.

### III. MEMBRVM PORISMATICVM.

#### I.

πεωλευαγγέλιον seu prima de Salvatore hujus mundi promissio, non est illa, quæ Gen. 12. v. 13. sed quæ cap. 3. v. 15. extat.

Admodum contendunt Sociniani, primam de Christo

C 3

pro-

promissionem Abrahamo demum esse factam, Sanctos autem Patres, qui ante ipsum vixerint, nihil de Messia scivisse. Diserte enim Smalzius, libr. de Divinitate Christi c. 2. scribit: *Sanctos Patres qui ante Abramum vixerint, nihil de Messia scivisse, illi autem promissionem factam esse.* Verum Resp. (1) Distinguendum esse inter primam promissionem *absolute factam*, & ad *certam familiam* (e qua Messias oriundus) determinatam. Hæc, non prior, Abrahamo facta est. Nec promissio hic facta per dictam determinationem evertitur. (2) quod vero non Adami, sed Abrahami semen Christus dicitur, sit, quia promissiones tum temporis editæ de Messia, originem ejus secundum carnem evidentius ostendebant. (3) Si in textu de mulieris semine serpentinum caput contrituro non habetur Messiae promissio, sequitur, quod Protoplasti, omnesque ante Abramum Patres nullum habuerint solarium adversus peccata. Verum aliter longe judicare jubet (1) *Lapsus primorum parentum consideratio.* Cum enim illi considerarent, tum bona, quæ amiserant, tum mala quæ admirerant, quodque hinc totius generis humani corruptio, miseria, omnisque *Ճաշա & Ճապա* originem sumisset, annon desperandum plane iis fuisset in tali statu, nisi erecti fuissent prostrati ipsorum animi divino solatio? nisi datum fuisset audire vocem per os Dei sonantem de MESSIA & MVNDI SERVATORE, nostraque per eum a peccato & peccatorum poena æterna liberatione, omniumque restauratione & in integrum restitutione? (2) *Ipsa Dei suæissimam hanc promissionem dantis intentio.* Quæ non alia; quam ut hoc lætissimo promisso Protoplastos erigeret, luctumque ex lapsu acceptum levaret & inflictum vulnus sanaret. Hæc enim inimicitarum prædi-

¶ 3 ) o ( ¶ 3

prædictio non debet ita accipi, quasi per eam Diabolo es-  
sent concessæ vires, sed potius tanquam denunciatio pœnæ  
Diaboli, utque verba hæc, *inimicitias ponam*, promittant,  
Deum daturum hominibus aliquid, quo ipsi semel vici vi-  
torem oppugnant, ac deinceps eidem semel devicto forti-  
ter resistant. (3) *Eva matris de Jebovæ possessione votiva ex-  
clamatio Gen. 4, v. 1.* (4) *Patriarcharum ante Diluvianorum  
usque ad Noachum, Noachique usque ad Abramum salutaris  
bujus doctrinæ propagatio.* (5) *exactissima rei ipsius cum Messia  
convenientia, eventusque illustris comprobatio;* quod firmissi-  
mum argumentum est.

## II.

*Non aliud est, quod Patres omnesque pii in V.  
quam quod nos in N. T. habemus Evangelium.*

Negant Anabaptistæ cum Photiniis vitam æternam  
& bona Spiritualia Sanctis in V. T. fuisse promissa, & Chri-  
stum demum ea, quæ olim audita non fuerant, revelasse  
ajunt. Ita enim de nostris Socinus: *Credunt viram æternam  
non primum in Novo Fædere, sed ante quoque in vetere fuisse  
promissum, & ex ipso Dei promissio a fidelibus ejus temporis ex-  
spectatum;* quo vix quicquam inveniri potest divinis testimo-  
niis & oraculis magis contrarium. Verum' Resp. (1) ut ea-  
dem fuit Patrum V. T. fides cum nostra, sic illis non minus  
factas esse promissiones vitæ æternæ, quam Christianis in  
N. T. docent exempla Credentium, *Eva*, Gen. 4, 1. *Lame-  
obi* Gen. 5, 29. *Abrahami*, Gen. 15, 16. Confer. Rom. 4, 3.  
Gal. 3, 6. Joh. 8, 56. *David*, qui certus de Messia, 2. Sam.  
23, 1. totos Psalmos ordinavit de Christo, Ps. 22. & 110. uti  
& *Esaias* c. 53. *Daniel* c. 9. & omnes prophetæ de ipso te-  
stati sunt, Act. 3, 23. Eodem pertinere Protevangelium de  
quo

quo in præsenti agimus, supra est evictum. Sed & huc spectat promissio facta Abrahamo Gen. 15. v. 1. *Ego protector tuus & merces tua magna nimis.* Ibi enim mercedem tantum temporalem, non una æternam intelligi, unde probabitur? item Gen. 22. v. 18. *in semine tuo benedicentur omnes terræ;* Ubi per semen Christus; Gal. 8. 16. per benedictionem cum primis spiritualia bona & hæreditas vitaæ æternæ, explicante Paulo Gal. 3. & 4. innuuntur. Referri præterea huc debet promissum liberationis de morte æterna, Os. 13. v. 14. *De manu inferni redimam eos, de morte liberabo eos: Ero pestilentia tua omors, ero lues tua, o inferne.* Ubi liberationem spiritualem, non corporalem, mortem æternam, non temporalem, quod Propheta intellexerit Paulus, his verbis indicat: *Quum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam: ubi est, mors, stimulus tuus? ubi tua, inferne, victoria?* 1. Cor. 15, 54. Ad promissiones vitaæ æternæ referenda etiam sequentia dicta: *Beati omnes, qui confidunt in eo* Ps. 2. v. ult. *Nolo mortem morientis,* dicit Dominus DEVS. Revertimini & vivetis &c. Ezech. 18. v. 33. Conf. cap. 33, II. ubi priori loco intelligitur vera beatitudo cœlestis, quæ solis promittitur & dabitur credentibus. Loco posteriori vita spiritualis & æterna innuitur, quæ solis vere penitentibus propria, gratuitum ipsius justitiæ præmium est. Plura qui vult B. D. Balthas. Meisnerum adeat in libr. Consider. Theolog. Photinianæ artic. 7. de promiss: vitaæ æternæ sub V. T. Et sane, si N. T. Evangelium non habuisset locum jam in V. T. sequeretur, Patres in V. T. suis lege Mosis salvatos; quod absurdum est & N. T. dictis contrariatur, quæ docent, quod utrobique fuerit (1) *Vna & eadem justificationis*

&amp;

*& salutis ratio.* Etenim per gratiam Domini nostri JESU Christi credimus nos salvari, quemadmodum & Patres nostri; ait S. Petrus, Actor. 15, ii. (2) quod fuerit utrobique. *Vnum & idem propitiatorium sacrificium siquidem Agnus (Christus) occisus est ab origine mundi* (decreto, efficacia, promissione, typo, non actu). Apoc. 13, 8. Atque hinc B. Paulus testatur, se annunciare Evangelium, quod DEVS ante promiserit per Prophetas suos, Rom. 1, 2. 3.

## III.

*Non de serpente naturali, ejusque naturali semine sive progenie, nec de inimicitiis quæ humano generi cum naturalium serpentum genere intercedunt. Deo in textu de quo agimus primario & sensu literali sermo est.*

Judæi & Judaizantes nonnulli per serpentem, cuius vers. 14. fit mentio, *merum & nudum serpentem* intelligunt, cui pœnæ loco vox ademta, & venenum additum sit; indeque inimicitiam hic non nisi inter serpentem naturalem & hominem fuisse positam affirmant. Pro qua sua sententia id urgere solent præcipue, quod divinus scriptor Moses in historia lapsus Adamici solius serpentis, nullam diaboli faciat mentionem. Verum Resp. (1) Serpentem a *Mose* seductorem, lapsusque Adami autorem ponit, non facta diaboli mentione diserta, quia Historicum Moses hic agit, qui ea tantum, quæ oculis objecta, & foris gesta sunt, describit. Interim diaboli mentionem, saltim implicitam, eo ipso fecit sacer Historiographus, serpentem locutum esse scribit, quod utique per se præstare non potuit. (2) Finis & scopus hujus promissionis longe fuit alias, quam quod DEVS

C

T. O.

T. O. M. adeo prolixo solum serpentem physicum compellare voluerit, qui, ut brutum, nihil ejus intellexit & percepit. Voluit nimirum eo consolari & erigere miseros Protoplastos, eorumque Posteros, quod per Messiam ipsi restitui, seductor vero puniri debeat. Et quid solatii inde homini, si vel mille serpentes naturales pereant? (3) Scriptura alibi fatis clare seductionem exponit de diabolo quando eum vocat *bomicidam ab initio*, Joh. 8, 44. Quo etiam spectat, quod *diaboli invidia mors in mundum introisse* dicitur, Sap. 2, 24. Bene B. Lutherus Comment. in h. l. 45. Hæc (v. 15.) sunt quæ proprie ad judicium Satanæ pertinent, & in quibus firma consolatio piis proponitur. Superiora, ut dixi, historicæ sunt, & ad serpentem pertinent &c. fol. 53. Prior pars textus (sc. v. 14.) rotæ figurata est. Loquitur enim DEVS cum serpente; & tamen certum est, serpentem hæc verba non intelligere &c. Serpentem igitur nominat, sed cum Satanæ præcipue agit, dominante serpenti, & per eam decipiente homines: & fol. 55. Non agit hic (v. 15.) Moses amplius de serpente naturali; de diabolo loquitur, cuius caput sunt mors & peccatum. Accedit denique (4) quod Christus, Iemen mulieris, nunquam naturalem contrivit serpentem, sed Satanam, i. Joh. 3, 8. Porro quemadmodum Adversarii naturalem serpentem, ita etiam naturalem inimicitiam hominis & serpentis h. l. intelligunt. Verum (1) quia hostis de quo h. l. agitur non serpens naturalis sed Satanæ est, (prout modo demonstratum) bellum etiam spirituale esse sequitur. (2) Copula Vav. h. l. emphatice ponitur, novamque hic inchoari sententiam innuit: unde & Piscator cum Versione Tremellii & Junii habet, *præterea, judeum.* (3) hac ratione diabolus impostor impune hominem

nem

nem seduxisset, si inimicitia, cuius in textu sit mentio, de naturali odio hominum erga serpentes, non autem de Messia Regnum Satanæ destructuro intelligeretur. Et denique (4) ipsi Ebrei agnoscunt non majorem naturam homini cum serpente simultatem esse, quam cum ceteris reptilibus. Et quot Circulatores videmus, qui demto veneno cum serpentibus ludunt? Stat itaque nostra sententia, Deum his verbis primario & sensu literali loqui de Satana ejusque Angelis (Apoc. 12, 17.) quæ Diabolorum colluvies *semen* metaphorica translatlione dicitur. Quodque inimicitia inter sēmen mulieris & serpentis sit *spiritualis inimicitia* inter Christum & Satanam.

## IV.

*Vox semen non collective utrobique, nec singulariter sed collective ex una parte, & singulariter ex alia accipi debet in textu nostro Mosäico.*

De voce semenis, alias ambigua, membro nō jam dictum, h. l. nomine *seminis*, & quidem illius quod præcedit, intelligitur ipse *κανοδαιμων*, primarius & versutissimus malorum angelorum, cum tota Spirituum infernalium colluvie, quæ illi adstitit, & operis hujus *εὐθετων* avidissime præstolata fuit, cumque rem omnem ex voto cessisse cōperisset, de obtenta hac ab homine victoria *πικραπενακοτάτως* triumphavit. Quæ tamen expositio non obstat, quo minus per quandam analogiam intelligamus etiam omnia Satanæ organa inter homines, videlicet impios, Tyrannos, persecutores, hæreticos, membra Antichristi, qui omnes & ipsi vocantur progenies viperarum, serpentes & filii Diaboli, quoniam eum imitantur,

D 2

studiis-

studiisque suis ingenium ejus exprimunt, exemplo Judæorum Joh. 8, 44. Hæc de priori *seminis* voce, de qua plura præced. porisim. iii. Sequitur quid sub nomine *seminis mulieris* intelligatur. Calvinus per *semen mulieris* intelligit omnes omnino homines; Cum vero eorum multi serviant Dia-bolo intelligit deinde Ecclesiam & credentes, quorum caput Christus. Vid. Calvini Comment. in h. I. quique ejus sententiam defendere satagit, Rivetum Exerc. 37. in Genes. Cujus verba: *Semen de posteris mulieris recte accipi in tota bac periodo* (Calvinus existimat) id est, ut diximus de *posteriorum mulieris parte*, qui filii Dei efficerentur. Nam ad eos fideles, qui Ecclesiam constituere debebant, semen illud restringi Calvinus docuit, & rei veritas id confirmat, & iterum: *Summa bujus interpretationis est, seminis mulieris nomen collective sumi, sed quatenus eos comprehendit solos, qui non sunt serpentis semen, quum ipsis opponantur.* Ergo sub nomine *seminis universam Ecclesiam* intelligi. Et quoniam Ecclesia corpus mysticum est, quod suum babet caput & membra, Satanæ debellationem ad membra non pertinere, nisi quatenus cum capite conjuncta sunt. Hucusque verba Riveti. Cui & Calvinio ut respondeatur monemus ex B. Glässii disput. de Protevangelio contrâ Huntlaeum, th. 33. Christum in scripturis dupliciter considerari (1) ut Redemptionis opus perficiente, & ut solitariam causam extra omne conjuncti agentis consortium positam, ut Es. 63, v. 2. *Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum, v. 5. circumspexi & non (fuit) adjutor, & obstupui, & non (fuit) qui suffulciret. &c.* (2) ut operis Redemptionis efficaciam corpori suo, quod est Ecclesia, communicante; sive ut sociam causam & principia.

cipalem quidem, alii simul agenti applicatam, ut i. Cor. 15, v. 57. *Deo sint grates, qui dedit nobis vitoriam per Dominum nostrum JESVM Christum.* Videatur & i. Joh. 2, v. 13. Apoc. 12, ii. Priori, non posteriori modo Messiam in nostro textu considerari probamus (1) quia conterere caput serpentis i. e. vincere Diabolum, destruere mortem &c. omnino talia sunt, quae non nisi soli Deo competitunt. Ef. 15, 8. Of. 13, 14. Zach. 3, 2. Rom. 16, 20. (2) quia DEVS ipse de Messia Protevangelium explicat, dum ad Abrahami familiam *semen* benedictum restringit Gen. 22, 18. quod *semen* Abrahæ promisum Christum esse, collatio ostendit cum Gal. 3, v. 16. Acto. 3, 25. (3) quia Chaldaeus exponit de Messia, ut & LXX. ἀντός σε τηγάστει κεφαλήν. (4) quia ipse eventus communem hanc totius Ecclesiae orthodoxæ expositionem satis comprobatur. Vide Matth. 5, 17. Joh. 12, 31. Rom. 5, u. 12. 15. Et quanquam vocabulo *semen* collective usurpari solet, tamen non semper id fieri, sed etiam ἐνικῶς, μονοδικῶς ή μονοπρωτόπως, singulariter & denuo interdum in sacris literis id accipi manifesta exempla docent. Ita Seth, Gen. 4, 15. vocatur *semen*, iterum Isaac Gen. 15, 3. sic quoque filius Davidis in individuo 2. Sam. 7, 12. 1. Paral. 17, 13. appellatur *semen*. Atque ita satis patet, voce *seminis mulieris* sensu literali & proximo tantum intelligi Messiam & Christum JESVM ex Maria virgine in tempore natum. Quanquam non negemus, quod secundario & επομένως etiam intelligi possint pii, qui & ipsi dicuntur virtute Spiritus S. conterere Satanam sub pedibus suis, Rom. 16, 20. Nempe, ut observat. B. Glassius Disput. contra Huntlaeum thes. XXV. 4. aliud est, in Scripturæ S. verbis aliquid sensu literali contineri & intelligi, aliud vero certæ & immediate

diate consequentiæ vi ex illis deduci. Priori modo dictum nostrum ad solum spectat Messiam; posteriori ratione concedimus, imo & fortiter propugnamus, veram Ecclesiam & quælibet ejus membra virtute & efficacia Servatoris sui Satanam vincere; ut habent B. Glassi verba l. c. Nec aliter statuendum speciatim de B. Virgine Maria, matre Domini. De qua fusiſ h. l. contra Pontificios agere forsan operæ esſet pretium. Verum quia ſupra in II Membro philologico in explicatione vos ננּ mentem nostram aliquomo- do explicavimus, B. Glassius etiam ex professo contra Huntlæum ea de re eruditissime diſputavit, labore iſto nunc ſuperſedebimus. Vnicum illud adhuc breviter expenden- duim, quod Rivetus Comment. in h. l. ait: Quum Calvi- nus vidiffet, noimen ſeminis in prima parte collective accipi debere, & nullam rationem eſſe, cur poſtea relativum pronomen aliter acciperetur, eam interpretationem ſecu- tum eſſe, cuius ſupra mentionem fecimus. Niſirum ne- gandam eſſe dicimus conſequentiā; ſi noimen ſeminis ſer- pentis ſumitur collective. E. & ſeminis mulieris, cum unum ideinque vocabulum, pro varietate ſubjectorum de quibus enunciatur varias obtinere poſſe ſignificationes, maxime notum ſit. Sane ſi ſemen mulieris collective ſumatur, ſe- queretur, omnes homines ſerpentis caput contrivisse: quod quam absurdum ſit, cuivis patet. Semen itaque mulieris μονοπεωσόπως & κατέξοχην de nullo alio intelligimus, quam de Meſſia, utpote, qui ſolus diabolo hic opponitur, qua- tenus in hac oppositione ad rem ipsam respicitur, quæ pro- priè & principaliter eſt potestatis diaboli ſuper genus hu- manum deſtructio, opus profecto quod ſuperat omnes vires nudi hominis. Sed hic ſubſiſtimus & CHRISTO, Satanæ debellatori, perpetuoque Victori & Trium- phatori æternas gratias agimus.

## COROLLARIA EX DICTO EXPLICATO ADIECTA.

I.

*Stante inimicitia inter serpentem & Christum, Syncretismus religionum, quem nonnulli meditantur, obtentu impossibilis.*

II.

*Stante inimicitia inter serpentem & Christum Ecclesia nunquam caritura est persecutionibus sive cruentis sive incruentis.*

III.

*Stante inimicitia inter Serpentem & Christum, Ecclesia nunquam erit adeo pura, quin multos impios & hypocritas sibi adjunctos habitura sit.*

IV.

*Stante inimicitia inter serpentem & Christum, nullus vere fidelis immunis erit a temptationibus, maxime internis.*

V.

*Stante inimicitia inter Serpentem & Christum, nulla vere Christiana & fraterna amicitia inter pios & mundanos sive regenitos & irregenitos esse potest.*

F I N I S.



COROLLATIONE DIGITIS HYGRO

LOGICIS ET ALIAS

EXPLANATIONES

DE CLOACIS ET VENAE

ET DE CLOACIS ET VENAE

7d 1645



Mal



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISPUTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA

AD  
Cap. III. Genes. Vers. 15.  
DE

# PARADISI EVANGELIO *Vom ersten Evangelio im Paradies*

QVAM  
IN ILLVSTRI ACADEMIA KILIENSI  
S V B P R A E S I D I O  
DN. CHRISTIANI Fortholt,  
SS. THEOL. D. ET PROF. PVBL. PRIMARI  
VENTILANDAM PVBLICE PROPONIT  
TOBIAS PAVLI, HEMIPOLIT. SAXO,  
DIE XII. OCTOBR. ANNO M D C LXXIX.

VITEMBERGAE,  
RECVSA, APVD IOANNEM HAKIVM. (4)  
MDCCXXXIX.

